



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 25. Ximenius Archiepiscopus Toletanus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

Sæcul. XV.

A. C. 1498

§. XXV.

*Alvarez Gomez in vit. Xim. lib. 1.**Ximinius Archiepiscopus Toletanus.*

Hoc anno Franciscus Ximinius ad Toletanum Archiepiscopatum, ut supra meminimus, promotus, Ecclesiæ suæ possessionem adiit, summa magnificentia exceptus. Primas eo curas intendit, ut pauperum egestatem profusis eleemosynis sublevaret, Ecclesias, ac Xenodochia inviseret, Dioecesim suam Fœneratorum, ac prostibulorum fœce expurgaret, unde quamplurimis corruptis iudicibus officio suo dejectis, alios morum integritate, ac probata virtute, animoque a proprio quæstu alieno præditos subrogabat: Denique Complutum profectus, Synodum coegit, cui ipse habita oratione sane ad movendum efficacissima solemne dedit initium, & paulo post Talabricæ aliud celebravit concilium.

§. XXVI.

*Statuta utriusque Concilii.**Raynald. ad ann. 1498. num. 23.*

Eorum, quæ in utraque Synodo sancta fuere, summam exhibemus. I. Parochi singulis diebus Dominicis, ac festis re divina peracta S. Evangelium gregi suo solide, ac simpliciter exponere; vespere autem suos parochianos, præ